

SCRIPTA

Numéro Scripta : 7231

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1180, 28 juin

Lieu d'émission : Gisors Trie

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Traité entre Philippe Auguste et Henri II.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Stubbs William, *Gesta regis Henrici Secundi Benedicti abbatis*, the chronicle of the reigns of Henry II. and Richard I. A.D. 1169-1192, known commonly under the name of Benedict of Peterborough, Londres, Longmans, Green, Reader, and Dyer (*Rerum Britannicarum Medii Aevi Scriptores, or, Chronicles and Memorials of Great Britain and Ireland during the Middle Ages ; 49*), 1867, 2 vol., t. 1, p. 247.

b. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (*Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France*), 1916-1927, 3 vol., n° DL, t. 2, p. 128-130.

Dissertation critique

Datation proposée par DELISLE/BERGER.

Texte établi d'après b

Ego Philippus, Dei gratia rex Francorum, et ego Henricus, eadem gratia rex Anglorum, volumus ad omnium tam presentium quam futurorum pervenire notitiam quod fedus et amicitiam fide media et sacramento innovavimus, quam dominus meus Lodowicus, rex Francorum, et ego Henricus firmaveramus inter nos apud Iveri, in presentia Petri, tituli Sancti Chrysogoni presbyteri cardinalis, Apostolicæ Sedis legati, et Ricardi Wintoniensis episcopi, et aliorum plurimorum episcoporum, comitum et baronum qui aderant, videlicet quod sic sumus et amodo volumus esse amici, quod uterque nostrum alteri observabit vitam et membra et terrenum honorem suum contra omnes homines pro posse suo. Et si quecunque persona alteri nostrum malum facere presumpserit, ego Henricus juvabo Philippum regem Francie dominum meum contra omnes homines pro posse meo. Et ego Philippus juvabo Henricum regem Anglie contra omnes homines pro posse meo, sicut hominem fidelem meum, salva fide quam debemus hominibus nostris quamdiu ipsi nobis fidem servabunt. Et neuter nostrum amodo retinebit inimicum alterius in terra sua, ex quo inde requisitus fuerit. Et ut inter nos tollatur omnis materia discordie, concessimus ad invicem quod de terris et possessionibus nostris et omnibus aliis rebus quas modo habemus alter adversus alterum nihil amodo petet, excepto eo de Alvernia unde contentio inter nos est, et excepto feodo de Castro Radulfi, et exceptis feodis minutis et divisis terrarum nostrarum de Berri, si homines nostri aliquid interceperint inter se

vel adversus alterum nostrum. Si autem super his, que superius excepta sunt, per nosmet ipsos convenire non poterimus, ego rex Francorum elegi tres episcopos, Claremontensem, Nivernensem, Trecensem, et tres barones, comitem Teobaldum et comitem Robertum et Petrum de Curtenai, patruos meos, et ego Henricus rex Anglie elegi tres episcopos, Willelmum Cenomannensem, Petrum Petragoricensem, Robertum Namnetensem, et tres barones, Mauricium de Croun, Willelmum Maingot, Petrum de Monte Rabel, ex parte mea, qui inquisita veritate hinc inde, tam per se ipsos quam per juramenta hominum terrarum illarum, predicti episcopi in verbo veritatis asserent, et laici jurabunt, quod quicquid cognoverint de jure alterius nostrum esse, hoc inter nos dicent, et nos eorum dicto bona fide firmiter stabimus. Si vero omnes illi episcopi quos ego Philippus elegi interesse non poterunt, nihilominus stabimus dicto illorum duorum qui intererunt. Et si omnes barones ex parte mea nominati non intererunt, pro eo non remanebit quin stemus dicto illorum duorum qui intererunt. Et similiter de illis quos ego Henricus elegi, tam de episcopis quam de baronibus. Juravimus etiam quod nullum malum faceremus eis propter hoc, quod veritatem dixerint. Et si forte, quod Deus avertat, inter nos de terris nostris aliqua querela oriatur, per eosdem bona fide, et sine malo ingenio, sine dilatione terminetur. Si autem aliqua predictarum personarum [interim] mortua fuerit, altera loco ipsius substituat. Si vero alter nostrum iter peregrinationis arripere voluerit, alter qui remanebit terram illius qui in peregrinatione erit, et homines, sicut sua propria dominica fideliter custodiet et manutenebit et defendet contra omnes homines, sicut ego Philippus defenderem civitatem meam Parisius, si esset obsessa, et sicut ego Henricus defenderem civitatem meam Rothomagum, si esset obsessa. Ego autem Philippus volo quod omnes mercatores tam clerici quam laici de terra Henrici regis Anglie, cum omnibus rebus suis, securi sint et pacem habeant per omnes terras meas ; et ego Henricus similiter volo. Hec autem supradicta omnia nos observaturos et fide et sacramento promisimus. Juraverunt etiam de precepto nostro homines nostri post nos, quod bona fide consulent nobis ad observandum quod juravimus, nec consilium prestabunt quominus observetur.